DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

URETHRÆ STRICTURA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE URETHRÆ STRICTURA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ARTHURUS R. HOLLINGSWORTH,

BARBADENSIS.

"—— *Amor et melle et felle est fœcundissimus :*
"*Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usquè oggerit.*"

PLAUT.

VIII. Calendas Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

ARTHURUS R. HOLLINGSWORTH,

GULIELMO HUSBANDS

SUO,

S. P. D.

SUMMOS medicinæ honores consecuturus, non possum, quin tibi, carissime amice, pro tuis de me meritis plus fraternis, gratias agam. Unà in OCCIDUO SEMIORBE *adolevimus. Simul ut nos firmârat ætas, unà truci pelago fragili rate nosmet commisimus, ut procul à patria* ARTEM APOLLINAREM *condisceremus. Ex quo tempore ad* EDINAM, *celeberrimam orbis terrarum bonarum artium mercaturam, advenimus, contubernii, vitæ et victûs communitate usi sumus. Tu mihi fuisti* MENTOR *amicus et fidus, nec unquàm, salvâ virtute, tuis fui inobsequens monitis. O utinam diù beatus vivas et felix, et ego sic meipsum geram, ut dignus sim, quem amicorum primum, aut in primis, habeas. Has studiorum primitias, amicitiæ pignus, accipias, obsecro, et credas, te non amico, me nihili vitam putaturum. Vale. Octavo Calendarum* JULII, EDINBURGO.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

URETHRÆ STRICTURA.

HICCE morbus, quem persequi conamur, oritur ab urinæ itinere præter naturam contracto; quæ contractio efficitur aliquo vitio in partibus quæ hunc formant canalem.

Omnia genera Ischuriæ Venereæ sub *Stricturæ* nomine complecti, et apud auctores, medicosque ipsos *, nimis frequens fuit error;

A quò

* Vid. SWEDIAUR "on the Venereal Disease," p. 77.

quò non solùm abducti sunt in falsas de hujus morbi natura opiniones, verùm etiam consilio medendi haudquaquam intellecto, pravam curationis viam insecuti sunt. Huc accedit, quod idem error quorundam ex optimis, dummodo rectè fuissent adhibita, remediis usum forsitan abstulerit.

Multas ob causas supprimitur urina: hoc efficit vesicæ cervix inflammata; idem efficit spasmus; etiamque fieri potest ut urinæ iter angustius reddatur inflammatione et tumore in partibus vicinis, veluti glandula prostata, &c. Quæ omnia sunt citra stricturam *.

Omnes canales membranaceæ ad contractionem sunt proclives. Omnia etiam intestina, præcipuè id quod *rectum* dicitur, stricturæ sunt opportuna. Opportunus etiam œsophagus; neque præputii contractiones generis sunt diversi: necnon partes vulnere affectæ, ex cicatricum contractione naturali, huic malo potissimùm obnoxiæ sunt.

Urethræ

* Vid. Plenck. doct. de Morb. Vener. Vinnæ, 8vo. 1789, p. 39.

Urethræ membranulam vim se contrahendi habere hinc patet, quod ad canalis amplitudinem, quæ alia est alio tempore, accommodetur: multò major est cùm homo urinam reddit, quàm cùm ejaculatur semen.

Urinæ iter inflammatum, veluti in gonorrhœa, ad validam contractionem, lotium effluens, interdum ciet, exituque penitùs intercluditur: idem fit, quibusdam acribus injectis *.

Urinæ fistula igitur, instar omnium partium quæ musculis instruuntur, proclivis est ad spasmum tonicum, quo subinde contrahitur, compage nihilominùs partiumque fabricâ manentibus illæsis. Talis est morbus de quo nunc fusiùs agendum est.

Ex fibris transversis urethræ contractis semper fit strictura, quæ medio in canali ferè est valdè

---

* Qui plura scire vult de vi se contrahendi membranis insita, consulat HOMIUM apud "Philosophical "Transactions," vol. lxxxv. qui dicit, *hydatides* in ovium cerebris jecoribusque repertas, ex membranula pellucida constare; atque in aquam tepidam immersas haud parvam se contrahendi dilatandique vim ostendere.

valdè tenuis, sed latera versus paulatim crassescit. Modò ambit, et veluti circino circumducta radices circum totam urethram agit; modò partem tantùm occupat. Haud rarò evenit ut duæ formentur stricturæ, intervallo digiti pollicis crassitudinis inter se; quò spatium interclusum multùm coangustatur.

Etiamsi strictura perfectè sit formata, atque etiam aliquandiu partibus inhæserit, neutiquam vim se magis contrahendi amittit: hoc docet repulsus virgulæ flexibilis *(bougie)* intromissæ *; docet etiam urina identidem suppressa, variis ex casibus, intemperantiâ vini, veneris, &c.

Partes, cæteris stricturæ opportuniores sunt, duæ: prima; pone *bulbum*, uti vocatur, qui distat sex digitos ab ore externo; altera, ferè in medio urinæ itinere, quæ unum digitum et semissem infra partem suprà dictam sita est.

Hic

* Vid. HUNTER, "On the Venereal Disease, p. 133.

Hic morbus sæpiùs insidet pone bulbum, utì diximus, quia ibi naturales sunt angustiæ; ideòque haud inepta est sententia nonnullorum, qui censent, hunc locum vi se contrahendi pollere, quò minùs semen ibi collectum refluere possit dum in fœminæ vaginam musculis acceleratoribus impellitur. Hunc locum potissimùm affici spasmo emplastris melcës vesicatorii impositis hinc patet, quod hìc loci fistulæ flexibili obsistitur, quum chirurgus lotii deductionem moliatur.

Sæpè accidit ut stricturæ, postquam formari cœperint, diu, etiam per complures annos, lateant in obscuro, neque ad eas æger animum advertat, donicum vires collegerint, signaque graviora urgeant. Tempestatum varietates plerumque sentiunt: tempore hiberno irritantur, leniuntur æstate. Aliquando autem, sed rariùs *, hieme mitigantur, tempore æstivo magis ingravescunt.

His præmissis, de membranæ, quæ urinæ iter circumvestit, irritabilitate, pauca priùs videntur

* Vid. JOAN. HUNTER, p. 3.

videntur explananda, quàm ad cæteras rei nostræ partes progrediamur.

Acriter inter medicos disputatum est, an strictura unquam sit luis venereæ signum. Eò usque processit clarus DARANUS, ut proponeret, cujusque generis stricturas syphilidi esse cognatas *. Quapropter dixit omnia beneficia a suis virgulis flexibilibus percepta, vi quam putavit illis inesse eliciendi detrahendique virus venereum attribuenda esse. Opinionem, tam planè absurdam †, non operæ pretium esset refellere. Veruntamen nemo dubitare potest, quin hicce morbus sæpissimè gonorrhœam sequatur, quæ non viro venereo, sed partes irritando, eas spasmo obnoxias reddit: idem fit in hominibus antè opportunis, ex calculo in vesica, aliove quovis irritamine ‡.

Quinimo

* Vid. SHARP's "Critical Inquiry," p. 146.

† Vid. HOME "On Stricture," 8vo, *Lond.* 1797.

‡ In infantibus qui calculo affici putabantur, inventæ sunt stricturæ. Harum a veteribus medicis, quibus lues venerea ignota fuit, mentio facta est. Vide HIPPOCRAT. Aphor. 81. § 4.

Quinimo altera fuit inter medicos disputatio, utrum res in urethram injectæ unquam per se, nullâ aliâ adjectâ causâ, hoc malum gignant?

Hanc litem dijudicare nequaquam est facile. Ex altera enim parte constat, stricturam sæpè excipere gonorrhœam, quamvis in ejus curatione nihil omninò in urinæ fistulam fuisset injectum: ex altera, autem, aliquid attribuatur oportet, consensui multorum, quibus visum est, morbum de quo nunc agitur, sæpissimè ab injectis oriri. Sed nobis verisimile videtur, rarò nocere injecta, nisi sint nimis acria, vel dum adest inflammatio adhibeantur.

Cæterùm, vesica est quasi musculus adversarius, cujus officium est vi urinæ fistulam, quæ aliter maneret contracta, aperire. Ubi in hac igitur angustiæ sunt, totum spatium quod inter eam fistulamque extremam intercedit, minùs solito dilatatur; unde fit ut alia strictura alias facilè gignat.

Primum est in hoc morbo signum urina rivo tenuiore reddita; quæ res tamen rarò

ægri

ægri attentionem sibi vindicat. Sed paulatim, malo procedente, urina solito difficiliùs, sæpiùs, et cum dolore redditur, quæ homini nunquam possunt non aliquem injicere metum. Ad hoc, omnia subindè exasperantur, insolitâ exercitatione, frigore, nimio potu, præsertim eorum quæ urinam facillimè movent. Tanta in hoc morbo est frigoris vis, ut qui urinam facillimè potest reddere in cubiculo tepido, sub Jove pleno ne guttam quidem emittere potest: attamen, quum se iterum calefecerit, eâdem quâ anteà facilitate reddit.

Mirum videtur, hujus morbi signa sæpè esse graviora otiosis, quàm illis qui negotiis occupantur. Concubitus nimius, præcipuè si aliquoties intra paucas horas repetatur, malum plerumquè adauget; voluptas quoque, per lasciviam producta, semper affert plurimum mali.

Strictura, in multis sui signis gonorrhœam simulans, concubitum aliquando subsequitur. Quamvis hunc morbum in quibusdam referat, sic internosci potest: inflammatio multò levior

levior est, et fluxus, inter initia profusior, citò desinit. Dolor est admodum fallax: Nam plerumque sentitur prope penis extremitatem, gonorrhœæ notam sedem, etiamsi inflammatio iis inhæreat partibus quæ vesicæ cervicem juxta sunt. In hunc errorem si incideret chirurgus, quàm periculosissimum esset; namque in tali casu acria injecta adeò non prosunt ut etiam plurimùm noceant.

Stricturam adesse ex hoc compertum haberi potest, quod æger sæpiùs solito urinæ reddendæ cupiditate afficiatur; tunicæ enim vesicæ, ex validó nisu toties necessario, crassescunt; quò fit ut hæc minùs facilè dilatari possit. Est etiam verisimile, fieri revera magis irritabilem; levibus enim causis eam subindè inflammari videmus; atque haud desunt exempla in quibus talis inflammatio eò usque processit, ut peritonæum invaserit, hominemque abripuerit *.

Ex consensu qui stomacho intercedit cum partibus quæ urinæ inserviunt, nausea et vo-

* Vid. Home "On Stricture," p. 62.

mitus stricturam sæpenumerò comitantur, atque unà cum his signa inflammationis generalis.

Quum huic morbo et urethræ, sive irritabili sive inflammatæ, sit quædam signorum similitudo, alter pro altero falso haberi potest. Ex hac causa nonnunquam fit irritatio cùm semen emittitur; urina difficiliùs tenuique rivo redditur. Tamen hujus generis difficultas paulatim minuitur, rivusque priùs fit largior, etiam naturalis, quàm tota urina fuerit reddita. Hæc nunquam evenire possent, si res esset strictura. Attamen cùm sit aliqua dubitatio, optimum ducimus, virgulâ flexibili intromissâ, partes explorare.

Vesicæ morbo affectæ multa signa propria, sunt iis quæ stricturam agnoscunt causam, perquam similia. Similia etiam oriuntur signa ex morbis glandulæ prostatæ, quam læsam esse scire licet, si virgulæ non priùs obsistatur quàm ultra septem digitos fuerit intromissa. Hic morbus raro accidit, nisi ætate provectâ, cùm stricturæ eos sæpè infestant quibus ætas viget. Ubi glandula prostata,

ait

ait HUNTERUS *, exulceratur, ferè post urinam in strictura autem, antè urinam, pus egeritur.

Ex morbo, quem persequimur, hæc oriuntur mala; dolor vehemens, urinæ suppressio, frequens et inane desiderium eam reddendi; quodque pessimum est, vesicæ distentio ita abnormis, ut pondere suo venam cavam inferiorem prægravando, anasarcam inferioribus partibus inducat †. Nisi huic quàm citissimè subveniatur, inflammationis generalis ingruunt signa; pulsus fit frequens, debilis et inæqualis; subsequuntur sudores gelidi, rigores, frigorisque sensus in partibus extremis; denique mors miserum abripit. Aliàs vesica dirumpitur, aliàs autem glandularum secretione auctâ, ægri vita producitur, haud raró servatur ‡.

DE

* Pag. 149.

† Vid. ROBINSON, Thes. De Vesicæ Urethræque Morbis.

‡ Vid. "Transact. of Med. Coll. of America," vol. i. p. 149.

DE MORBI CURATIONE.

Ex eo tempore quo lues Venerea per Europam grassari cœpit, stricturæ plurimùm invaluerunt. De quarum natura chirurgi veteriores opiniones admodum falsas habuisse videntur; ex quo factum est, ut pravam medendi rationem insequerentur.

Ex Ambrosii Paræi, Foresti, Wisemanni, aliorumque scriptis, apparet, eos Ischuriam Veneream callo, ex ulcere gonorrhœæ facto, carunculæve, vel (si verbis ipsorum uti liceat) pullulationi carnis emortuæ attribuisse. Recentiores autem, experientiâ magis docti, demonstrârunt hæc omnia rarissimè accidere *. Illi quidem extrinsecùs cataplasmata, fomenta, linimenta perinæo imposuerunt, imò etiam ægrotantes haud rarò hydrargyrum largiter assumere coëgerunt. Insuper iisdem mos erat haud insolitus, uti parvulis

* Vid. Hunter, Home, &c.

parvulis candelis cereis, quas, medicamentis oblitas, partibus corrodendis detergendisque idoneis, in urethram intromiserunt.

Talis curatio, sine dubio, minimè expedita fuit, et propterea haud ineptè forsitan dixit HUNTERUS celeb. *, "Magis stricturæ curationem quàm ullam aliam chirurgiæ partem, "intra proximos quinquaginta annos provectam fuisse." Inter omnes scilicet constat, HUNTERUM multò magis his, quæ ipsius experimentis usuque comparaverat, quàm alienis scriptis fuisse confisum. Hinc nobis verisimile videtur, eum rationem adhibendi causticum nemini debuisse. Hujus rei tamen mentio facta est, non solùm a WISEMANNO, verùm etiam a plerisque sui seculi scriptoribus.

TURNERUS, qui vixit centum ferè abhinc annis, suam carunculæ hoc est, stricturæ, medendi rationem fusiùs enarrat, deque virgulis flexilibus, aliquâ materiâ causticâ, ad suppurationem promovendam, idoneâ, perunctis, veluti suo tempore usitatissimis, loquitur; lectoremque

* De Morb. Ven. p. 129.

remque ad RIVERUM, DE BLEGUY, aliosque refert *. Multas enumerat res quibus ipse candelas cereas armare consuevit; quarum præcipua sunt, oxidum hydrargyri rubrum, aluminæque sulphas; et dicit, complures subacetide cupri, arsenicique oxido, uti solitos esse.

Virgulas flexiles usui aptiores magisque habiles, primus reddidit DARANUS, vir quidem haud parvi nominis. Hujus famâ inducti, ejusque æmuli sui æquales ingenium in hanc rem intendere, ejusque vestigia premere, cœperunt.

Quum virgulæ flexibiles ab eo fabricatæ, minùs dotibus medicis quàm partes dilatando valerent, brevi tempore, aliæ ejusdem formæ firmitatisque in usum venerunt. Ad summum, cuique melius, ut sibi videbatur, quàm anteà cessit stricturarum curatio; inde cunctis fuit persuasum se DARANI arcanum detexisse. Jamdudum, hoc arcanum, quantumcunque

* Vid. TURNER. De Syphilide, 8vo. 1724. p. 72. et seq.

que abditum, in lucem editum est *, veruntamen a recentioribus nihili haberi videtur.

Virgulâ flexili omnes stricturas, semper priùs curare tentandum est, quâm ad remedia validiora decurrere oporteat. Morbum recentem talis curatio plerumque tollit, cui gravior etiam haud rarò cedit. Tenuissimo hujus generis instrumento aliquando iter est impervium, tamen chordam (Anglicè *catgut*) capere potest, quæque, in fistula relicta, fit tumida, atque ita alicui crassiori viam aperit.

Insinuanda est virgula flexilis, eam inter pollicem digitosque indicem et medium leviter vertendo, ne ab extremitate sua inflectatur. Retineri etiam debet aliquot horas continuas; etenim quò diutiùs manet eò plùs prodest, dummodo partes neque multùm stimulet neque dolorem vehementem afferat.

Primo conatu urinæ iter interdum adeò stimulatur, ut instrumentum diutiùs retineri nequeat quàm sextam horæ partem. Hic status durare potest per aliquot hebdomadas; attamen æger paulatim sine multo incommodo

---

* Vid. ROWELY's "Cogent Reasons," p. 131.

commodo per septem vel octo horas continuas id tolerare poterit. Si testes aliamve partem urgeat inflammatio, virgulæ usus intermitti debet, donec ea lenita fuerit, vel prorsùs discussa. Ne talis incidat inflammatio optimè cavetur, temperantiâ et regimine (utì vocatur) antiphlogistico; quæ sunt igitur semper præcipienda.

Etiam cùm urina ex toto supprimitur, proposuerunt auctores, partium relaxationem fieri posse, virgulâ flexili usque ad stricturam immissâ, eique obnitente, donec fluere incipiat urina *.

Virgulæ quàm maximè læves mollesque eligendæ sunt; primùm parvæ, deinde majores, sunt usurpandæ: atque ita tandem plerumque fit ut tolerari possint eâ magnitudine ut canalis amplitudinem ferè adæquent; harumque usus sano aliquandiu continuandus est, ne redeat morbus.

Dolendum est tamen, stricturas esse quibus, summâ curâ, prudentiâ, perseverantiâque adhibitis,

* Vid. Sharp's "Critical Inquiry," p. 191.

hibitis, virgula flexilis mederi nequit. His, etiamsi malum per aliquod tempus levent, inest nulla vis eam delendi proclivitatem quæ partibus inhæret, causaque est cur morbus sæpiùs repetat. Strictura, præcipuè si vetus est, haud facilè dilatari potest; quod si moliamur, periculum est ne fiat spasmus, stranguria, abscessusque in perinæo.

Ubi complures sunt stricturæ, urethra est semper valdè irritabilis; et curatione suprà dicta ægri dolores nimis diu producuntur, etenim parum auxilii affertur nisi ultima summota est.

Aliquando etiam eæ sunt angustiæ, ut per has ne chorda tenuissima quidem immitti possit. In tali casu solent quidam chirurgi catheterem demittere, quò ejus pressu pars affecta exulceretur. Talis curatio autem anceps est et periculosa; catheter enim de recta via sæpissimè deflectitur: atque etiamsi hoc non accideret, nihil aliud, haud rarò, nisi stricturam reddet callosiorem.

Hinc igitur, si sint stricturæ, quæ constanter pòst, duobus tribusve mensibus, repetunt

quàm virgulâ flexili sanatæ viderentur: si sint aliæ quæ per eam omninò dilatari recusant; si aliæ denique cuidam hujus generis instrumento prorsùs imperviæ: et si compertum habeamus, hæc omnia, sine multo vel periculo vel incommodo, caustico posse penitùs sanari; equidem censeo neminem esse culpandum, qui, aliis frustrà adhibitis, ad hoc remedium confugeret.

Haud negandum est, quosdam scriptores medicos putavisse, talem curationem præstare effectus quàm maximè diros, quibus potissimùm annumerant sanguinis profluvium, ulcera, tormenta, gangrænam necemque *. Non inficior Doctoris ROWLEY auctoritatem argumentaque plùs apud me valitura fuisse, si leniter candidèque fuissent proposita. His verbis, quorum fœditatem sermone Latino vix assequi possem, ægros consolatur, quippe qui sint "the dupes of the last squeezings of the "extravagant brains of infatuated speculating "maniacs,

* Vid. ROWLEY'S "Cogent Reasons," &c. 8vo. *Lond.* 1800.

"maniacs, fitter for bedlam than to be practitioners in surgery *." Qui talem spurcitiem evomit, ipse contemnitur, adversarios non coarguit.

Verùm hominis inconstantia est planè admiranda, qui in caustici patronos vehementissimis conviciis cumulatis, et ipse suadet usum virgularum flexilium, quæ calce hydrargyri alba (*Pharm. Lond.*), vel subsulphate hydrargyri, oblitæ sunt †. De qua re præcepta, verbis quàm maximè cautis enunciare conatur. Verùm enimverò mihi videtur, iis qui verba minoris ducunt, quàm res ipsas fore persuasum, haud plurimùm interesse, inter causticum et hydrargyri subsulphatem.

Sine dubio verum est usum caustici, quibusdam in casibus, esse periculosum, in aliis, quod rariùs fit, etiam pestiferum ‡. Quod idem autem dici potest, de remedio quovis validiore;

* Vid. eundem librum, p. 17.

† Vid. opus suprà citat. p. 115.

‡ Vid. SAVIARD'S "Celebrated Cases," &c.

validiore; atque hinc caveant curantes, ne a se quid temerè ac inconsideratè agatur.

Quum variæ a scriptoribus causticum adhibendi propositæ fuerint rationes, operæ pretium est considerare quæ sit optima.

Clarus HUNTERUS in eo libro, quem de Morbo Venereo composuit, ait, se canulicula usum esse argentea, per quam aculeum nitrate argenti præfixum intromisit. Quæ ratio, inquit HOMEUS, tantum incommodi habuit, ut hoc instrumentum mutaverit HUNTERUS ipse, nonnullis annis ante mortem suam, virgulâ armatâ (utì vocatur), id est, cujus extremitati nitratis argenti aliquantulum inseritur.

Huic rationi quoque quædam nuper objecta sunt, inque ejus vicem altera proposita est *. Dicunt mucum a virgula flexili detrusum, et ante sricturam collectum, caustici effectum dubium, vel prorsùs inanem redditurum esse; anteriori stricturæ parti tantùm admoveri posse;

* Vid. WHATELY "On Stricture," 8vo. *Lond.* 1801.

posse; quumque huic itineri insit, proclivitas ad res in se contentas propellendum, verisimile est aliquid caustici liquefacti posse attingere sanam membranam, et sic multùm obesse *: denique hac curatione, quantitatem caustici uno tempore datam neutiquam certam esse, neque stricturæ commodissimè esse adhibitam.

Quibus incommodis ut subveniret, WHATELYUS in pulverem redegit aliquantulum nitratis argenti, quam virgulæ flexilis extremitati conglutinatam tenuiter cerâ supertexit. Curantem scire oportet accuratè, quantùm ab urethræ ostio distet strictura. Inserendum est instrumentum quàm citissimè, ne sanæ itineris parti noceatur. Instrumenti extremitas, quæ armata est, paulò minùs quàm stricturæ superficies esse debet, quò causticum ejus oras adurere possit. Nitratis argenti rarò plùs quàm aliquid inter duodecimam quartamque grani partem tutò adhiberi potest †.

Hæc

---

* Vid. WHATELY "On Stricture," p. 38.

† Vid. idem opus, p. 72.

Hæc ratio, quum multa habeat commoda, auctorisque experientiâ comprobata sit, tentationem sibi vindicat. Semper cavendum est, tamen, ne virgula armata ultra stricturam intrudatur, quippe urethra prope vesicam est valdè irritabilis, atque periculum est, ne ductuum ostiis, ibi hiantibus, noceri possit.

Si duorum vel trium dierum intervallo adhibeatur causticum, periculum est ne in corpus spongiosum transeat, sanguinisque vehemens efficiat profluvium. Eandem ob causam derepentè stricturam vi aperire semper alienum est. Sanguinis profusio quidem interdum prodest; verùm inflammatione urgente multò meliùs a perinæo hirudinibus detrahitur, quippe hac viâ modus faciliùs regitur.

Haud facilè est dictu quibus intervallis repetendum sit causticum, quippe quæ alia in aliis hominibus esse debeant: veruntamen semper ægri ætatis, viriumque, et signorum quæ subindè oriuntur, habenda est ratio.

In senibus curandis, præsertim calculosis, vel quibus in urethra impactus est calculus, summâ circumspectione opus est.

Ubi

Ubi porrò urget inflammatio, causticum est alienum ; quam adesse, docent extremitas glandis inflammata, vel auctum, quod stricturæ est proprium, profluvium, vel denique dolor vehemens, virgulâ flexili intromissâ. Huic priùs subveniendum est quàm ad solita auxilia decurramus : quod fit, sanguinis missione generali, balneo tepido fomentisque ; fit etiam alvum ducendo per emollientia, necnon his quæ sudorem eliciunt ; denique, ne longum faciam, toto regimine antiphlogistico strictè observato.

Causticum adhibendi singulas inter vices tantum spatii semper intercedere debet, quantum satis est ut membrana, eo deleta, denuò nascatur ; siquidem sanguinis profluvium optimè sic præcavetur. Eradicatur strictura magis exulceratione subsequente, quàm ipsiùs caustici proprio effectu.

Ostendunt experimenta a WHATELYO* instituta, crustam, caustico factam, postulare ut disquametur spatium inter quatuor septemque

* Pag. 25.

temque dies, ulcusque ut ipsum sanetur alterum tantùm. Intermittendum est igitur per hebdomadam decemve dies, vel etiam diutiùs, si ægri vires deficiant, vel si magna vis caustici uno tempore adhibita sit.

Virgulæ flexiles, si modò fieri potest, sunt usurpandæ per intervalla; quumque strictura sit causa cur urethra facilè irritetur, sperare licet, tempore procedente, fore ut æger eorum usum paulatim meliùs toleret. Caustico supersedendum est, ubicunque virgulæ flexili strictura cedere videtur.

Tametsi complures sint stricturæ, ferè satis est ut hoc remedium primariæ tantùm adhibeamus, quâ semota, facilè vincuntur cæteræ *. Causticum raro affert plurimum doloris, neque partes multùm vel irritat vel inflammat. Etiamsi sint reverà stricturæ, vel potiùs urethræ adeò sæpè morbosæ, ut neque hâc neque ulla aliâ ratione sanari possint, tamen tentari debet: Caustico admoto, fit dolor ardens per horæ sextam, tertiam vel etiam dimidiam

* Home "On Stricture," p. 162.

dimidiam partem durans, non ita gravis, sed magis acutus, quàm qui fit virgulâ flexibili insertâ.

Ne aliquid caustici in urinæ itinere permaneat, vulgò præcipitur, ut æger mingere conetur, vel aliquod lene injiciatur; quod fiat necne haud multùm refert. Mollis candela cerea alba subindè rectè introducitur, gratiâ explorandi quomodo res se habeant.

Quibusdam urethram ita fuisse irritabilem ut curationem vulgarem tolerare nequiverit, quàm autem caustico, paucis tantùm vicibus, adhibito, idque nullo ferè incommodo esse sanatam, auctor est Homeus. Hæc ratio autem mihi videtur periculosissima; animique incertus sum quantùm Homei auctoritas de hac re valere debeat.

Ubi virgula flexilis, ægri doloribus nihil allevatis, solito ulteriùs procedit, de recta via aberrare causticum, est cur nobis incidat suspicio. Hoc raro accidit nisi cùm strictura est in itineris urinæ curvatura, vel si, quicquid foraminis est, non in ipso canalis axe situm sit. Quocirca multò faciliùs tutiùsque admovetur

causticum stricturæ, quæ citra partem urethræ membranaceam, quàm quæ ultra posita est. Cæterùm, vulnus factum, instrumento de recta via inflexo, optimè sanatus incidendo extrinsecùs, superque virgulam curando.

Si forte ingens sanguinis profluvium ex caustico admoto aliquando incidat, partes aqua gelida sunt perfundendæ, tinctura rosarum, opiata, &c. assumenda sunt, atque in tali casu haud dubito quin oleum terebinthinum in urethram injectum profuturum sit. In hoc, sicut in aliis sanguinis profluviis, sensus frigoris in partibus extremis animique defectus prosunt, ideoque non sunt metuenda.

Hactenus modò disserui de vera strictura continua; cæterùm urethræ inest proclivitas ad id spasmi genus cui nomen *clonicum* est inditum. Hujus generis spasmus nervorum distentioni haud absimilis, est, " quippè qui sit, " partium compage salvâ, motus abnormis " morbidusque, quovis irritamine factus, remediis feliciter adhibitis, momento tem-

" poris aliquando quiescit *." Urethra præter consuetudinem irritabilis, si stricturæ spasmodicæ non existat causa, certè eam semper comitatur.

Hæc duo stricturæ genera, inter se discreta, aliquando separatim, multò sæpiùs conjunctim, homines invadunt, atque sic ischuriam, gravissimam molestissimamque cui mortales sunt obnoxii, gignunt. Sæpè incidit inflammatio vehementibus crebrisque vesicæ ad urinam egerendam nisibus, qui spasmum, alioquin desiturum, protrahunt, haud rarò adaugent.

Huic generi summa cura necessaria est, utpote cui potissimùm noceant nimius cibus, potus, exercitatio vehementior, vel etiam chirurgi imperiti nimis aspera curatio.

Quæ stricturæ delendæ sunt idonea, iis plerumque augetur spasmus, cui imprimis igitur occurratur oportet. Hic nonnunquam laxatur opio, tantâ copiâ per os assumpto ut sensum stupefaciat; vel ex inferiore parte indito,

---

* Vid. Joan. Hunter, p. 164.

to, quod est auxilium celerius et efficacius *. HUNTERUS commendat resinam pini laricis eodem modo datam. Extrinsecùs ad perinæum fovendum hæc sunt idonea: vapores aquæ calidæ utriculive eâdem impleti, cataplasmata tepida, panis calidi pars mollior. Multùm prosunt quoque stimulantia, sicut alcohol camphoratum, opiique tinctura. Si hæc fallant, neque tamen tempus deficiat, emplastrum meloës vesicatorii lumbis perinæove impositum, est optimum †.

Eundem in finem laudata est electricitas ‡; neque alienum erit colem in aquam frigidam demergere. Doctor SCHWEDIAURUS suadet ut cæpe assum linimentumve volatile perinæo imponatur;

* Vid. "Medical Observations and Inquiries," vol. IV.; item "Philosoph. Transact." vol. lxvi. et quid ibi dicit HAMILTONIUS, qui, inter alia, suadit usum sub-muriatis hydrargyri opio commixtæ.

† Vid. HUNTER, p. 163.

‡ Vid. WELDON's "Observations on puncturing "the Bladder," 8vo. *Lond.* 1793.

imponatur; sed vix putandum est hæc cæteris stimulantibus plùs valere.

Semicupium (utì vocatur), seu balneum calidum, si res quælibet non obstant, quàm utilissima sunt; dumque in solio desidet æger vena lata plaga incidatur, sanguisque donec accedat animi defectus profluat. Dum anima deficit, abdomen deprimere oportet; nam etsi spasmus relaxetur, nonnunquam fit ut vesicæ fibræ in longum productæ, non ea, qua solitæ sunt vi, lotium expellere possint.

Clivius diu consuevit dare tincturam ferri muriatis parvis crebrisque dosibus, ad decem guttas sextâ quâque horæ parte, ad nauseam efficiendam, quà totum corpus relaxatur: Nicotianæ tinctura, per os assumpta, vel ex inferiore parte infusa, huic consilio meliùs forsitan responderet. Alvi purgatio per sales secundos nunquam rectè prætermittitur.

Si chirurgo hæc tardiora vel minùs efficacia videantur, ad catheterem vel virgulam flexibilem, quorum hæc tutior, confugiat, intromissaque permaneat donec æger urinæ reddendæ cupiditate afficiatur. Ut faciliùs usque

que ad vesicam penetrare possit, perinæum extrinsecùs perfricare, vel stricturæ aliquandiu innitentem eam relinquere, deinde impellere debemus.

Ait HUNTERUS *, gonorrhœæ virulentæ mucosæve profluvio spasmum haud rarò solutum esse, sæpè eidemque etiam subveniri posse virgulâ, aliquâ re acri perunctâ, tres quatuorve digitos in urethram immissâ, ibique retentâ quamdiu æger eam tolerare possit; atque hanc curationem per complures hebdomadas continuandam esse.

In paroxysmis quidem catheter ultimum auxilium habendus est; sin autem pro explorato habeamus, eas esse urinæ itineris angustias, ut eum non capere possint, meliùs erit in ipsam vesicam incidere.

Aliquando autem præstat in urinæ fistulam incidere supra stricturam, quod plerumque fieri potest, quia hic loci canalis dilatatur †.

Demittenda

* Vid. p. 133. et seqq.

† Vid. WELDON, p. 98. &c.

Demittenda est fistula, quò certè sciamus qua in parte sita sit strictura: tum in hunc finem, quum æger urinam reddere conatus fuerit, si sat est spatii inter eam et glandulam prostatam, sensus qualem movet aquæ fluctus percipietur; dein urinâ emissâ, vulnus, scalpello incisâ stricturâ antrorsùm dilatetur: denique, ex gummi quod vi resiliendi pollet, vel ex metallorum aliquo eâdem vi prædito, fabricatus siphon, per totam urinæ fistulæ longitudinem demittendus, supra quam vulnus rectè curatur. Etiam cùm urina non ex toto supprimitur, haud dubium est quin hæc curatio sit satis efficax, quamvis in tali casu nimis aspera foret *. Eadem haud inepta est, ubi urina sibi viam in rectum intestinum vi aperuit, vel fistulas circa partes vicinas duxit †.

Interdum

---

* Vid. HOMEUM, suprà citat. p. 130.

† Qui plura de urethra perforanda scire vult, adeat opera DIONIS, p. 212.: LE DRAN'S "Operations," p. 370, 377.: "Obs. Mém. de l'Acad. de Chirurgie," vol. i. p. 438.: ASTRUC. p. 248.: PALFIN, vol. i. p. 188.: SHARP, p. 153.: WISEMAN, vol. ii. p. 428.

Interdum necesse est quum auxilia solita spem fefellerint vel tentanda non sint, urgentibus signis gravioribus, ut, incisione in vesicam factâ, hâc viâ urina emittatur. Tantùm igitur restat, ut priùs de hac re pauca dicam quàm ad finem hujus opusculi perveniam.

Quo potissimùm tempore ægris ferro succurrre oporteat, plurimùm scire interest, quoniam ipsa incisio modò lethifera est, modò fistulam insanabilem gignit; ideòque neque properantiùs neque temerè facienda est; multò minùs autem, donec vesica dirupta vel gangrænâ corrupta sit, differenda, tunc enim tale auxilium pro nihilo esset. Tempus est aptissimum, ubi primùm inflammationis indicia se ostendunt *.

Ex primo morbi impetu admodum variat intervallum, prout urinæ plùs minùsve secretum sit, prout vesica major aut minor, magis minùsve irritabilis sit, vel deinque ægri vires deficiant vel consistant: quæ omnia alia aliis ægris sunt.

Cùm

* Vid. WELDON, p. 37.

Cùm aliqua est dubitatio vesicam incidere oporteat necne, judicium ex arteriarum pulsu signisque inflammationis generalis sumendum est. Si pulsus est frequens, validus et durus, calorque intentus totum corpus percurrit, incisio rectè fit: rectè etiam fit, ubi in hypogastrio circaque renes sentitur dolor acutus et constans, cùmque accessus brevibus intervallis redeunt. Atque insuper imprimis cavendum est, ne asperâ crebrâque catheteris immissione urinæ fistula inflammetur.

Quod MODOS, qui omninò tres sunt, attinet, VESICAM INCIDENDI, chirurgus quisque pro se judicet. Mihi quidem *supra pubem* incisio maximè arridet; quia vesicam *per perinæum* incidere, cùm perdifficile est, tum sæpè est maximum periculum, ne vulnerentur vesiculæ seminales, ferro mucronato extra glandulam prostatam ingesto, nisi locus ubi hæc sita est quàm accuratissimè noscatur. Nedum *per anum* plaga in vesicam fiat, quandoquidem hunc modum, quoque non minora sequuntur mala, quorum præcipua ne similiter

percidantur vulnerenturve vasa deferentia vesiculæque seminales, vel ea peritonæi pars quæ inter vesicam et rectum intestinum extenditur. Neque hoc modo facilè est canaliculam tenere fixam; porrò etiam gravissima irritatio et tenesmus ægrum semper exercent, urinaque assiduè distillans rectum intestinum madefacit, suâque acrimoniâ exedit. Tali igitur plagâ, urinam nunquam emittendam esse censeo *.

Unus omninò modus restat, triumque sine dubio longè facillimus celerrimusque, atque, dum commodus, minimè omnium periculosus, is scilicet *supra pubem*. Hujusmodi incisionis, si vesicæ fundus ex pube emineat, neque ægro sit nimia ventris obesitas, parva erit difficultas; sin autem vesica supra pubem haud facilè sentiri possit, periculum est ne peritonæum vulneretur, casusque funestos afferat.

FINIS.

---

* Vid. Weldon, suprà citat., p. 50. qui multa argumenta pro incisione *per anum* proponit.